Hoc est translatum firmiter et fideliter factum sicut in originali cartula per alphabetum divisa continetur. Nono die introitu mensis Januarii. In era M. CC. XXX. prima. In Christi nomine sit notum cunctis. Quod ego S. regina Aragonum comitissa Barchinone et marchionissa Provincie
assensu et voluntate Ermengaudi de Aspa prioris hospitalis in Sancto Egidio et magistri in Provincia et toto regno Aragonum. et Petri Exemenez magistri Emposte. et Porcellesii preceptoris Emposte. et Roderici comendatoris de Calataiub. et aliorum fratrum hospitalis. Commuto et
per concambio dono vobis Raymundo de Caneto milicie Templi magistro in Provincia et partibus Hispanie. et R. de Cubells preceptori Montsoni. et G. de Castellar. et C. de Seron. et B. de Seron. et P. de Biurz. et B. de Martorello. et omnibus aliis fratribus milicie Templi
tam presentibus quam futuris. Castrum et villam de Sancta Licinia cum omnibus terminis suis. cultis et heremis. et cum omnibus affrontationibus. et directis atque pertinenciis suis. totum ab integro. sicut ego melius illud habeo et habere debeo per domum hospitalis. absque omni
retentu. Dono etiam vobis domos et campos. et alia omnia supra que fratres hospitalis habent vel habere debent in illo loco qui dicitur Podium Montsoni. et in omnibus suis terminis. heremis et populatis. Supradicta quidem omnia. voluntate et assensu supradictorum fratrum hospitalis. in con
cambio ecclesiarum Sene et Serene quas a vobis recipio. dono et trado vobis predictis fratribus milicie Templi. bona fide. et sine omni engano. et absque omni retentu nostro. vel fratrum hospitalis. sicut melius dici vel intelligi potest ad vestram utilitatem. ut habeatis et possideatis libere et
quiete. et faciatis inde vestram voluntatem. per secula cuncta. Ego quoque Raymundus de Caneto suprascriptus. assensu et voluntate supradictorum fratrum milicie Templi. commuto et concambio trado vobis domine S. regine suprascripte. et omnibus fratribus hospitalis. presentibus atque fu
turis. ecclesias de Sena et de Serena. cum omnibus suis terminis heremis et populatis. et cum omnibus directis et pertinenciis suis. totum ab integro. sicut domus milicie et fratres eas melius tenent et possident. vel possidere debent. bona fide. et sine omni engano. et absque omni
retentu domus et fratrum milicie. sicut melius dici vel intelligi potest ad vestram utilitatem. ut habeatis et possideatis eas libere et quiete. et faciatis inde omnem vestram voluntatem. per secula cuncta. Pro quibus recipio a vobis iamdictum castrum et villam de Sancta Licinia. cum omnibus suis
terminis. sicut supra scriptum est. cum omnibus illis que habet domus hospitalis vel habere debet in illo loco qui dicitur Podium Montsoni. et in suis terminis. sicut supra scriptum est. Promitto etiam et convenio vobis et fratribus hospitalis. quod de omni questione mota sive movenda vobis
et fratribus hospitalis super ecclesiis supra scriptis. sint fratres milicie auctores et defensores. contra cunctos homines. Quod si forte noluerint vel non potuerint. liceat vobis vel fratribus hospitalis supradictum castrum de Sancta Licinia. et alia omnia que in supradicta co
mutatione dedistis. in integrum recuperare. Et ego S. regina predicta et fratres hospitalis. promittimus et convenimus vobis R. de Caneto et omnibus fratribus milicie Templi predictis. quod si forte aliqua persona de his que per supradictum concambio vobis dono. aliquid auferre vel
minuere vobis temptaverit. nos simus vobis guarentes et defensores contra cunctos homines. Quod si forte noluerimus vel non potuerimus. liceat vobis et fratribus vestris predictas ecclesias. et alia omnia que in supradicta commutatione dedistis. in integrum recuperare.

Sunt testes huius suprascripti qui hoc viderunt et audierunt. dompnus Pelegrinus de Castellazol. ✠ Et dompnus Exemenus de Artusella. ✠ Et dompnus Dodo de Alcala. ✠ Et dompnus Sancius de Orta ✠ Signum Ermengaudi prioris hospitalis
Signum Porcellesii preceptoris Emposte. Signum Roderici comendatoris de Calataiub. Signum Raymundi de Caneto magistri milicie Templi. Signum Raymundi de Cubells preceptoris
Signum Petri Exemenez magistri Emposte.
Montsoni. Signum G. de Castellar. Signum G. de Sero. Signum B. de Sero. Signum P. de Biurz. Signum B. de Martorello.

Sunt testes huius suprascripti qui hoc viderunt et audierunt. dompnus Pelegrinus de Capellazol. ✠ Et dompnus Exemenus de Artusella ✠ Et dompnus Dodo de Alchala ✠ Et dompnus Sancius de Orta ✠ Signum Ermengaudi prioris hospitalis
Signum Petri Exemenez magistri Emposte. Signum Porcellesii preceptoris Emposte. Signum Roderici comendatoris de Calataiub. Signum Raymundi de Caneto magistri milicie Templi. Signum Raymundi de
Cubells preceptoris Montsoni. Signum G. de Castellar. Signum G. de Sero. Signum B. de Sero. Signum P. de Biurz. Signum B. de Martorello.

Signum ✠ Ildefonsi regis Aragonum. comitis Barchinone et marchionis Provincie. Ego Sancia regina hoc firmo ✠ Ego Guillelmus de Bassa regis notarius subscribo. ✠

Vital diaconus iussu domine S. regine et aliorum fratrum suprascriptorum hanc cartam scripsit. et hoc signum ✠ fecit. Facta carta mense Junii. Anno ab incarnatione Domini M. C. LXXX. IIII.

Signum ✠ Jacobi de [illegible] qui hoc teste subscribo. Signum ✠ [illegible] de [illegible] testis huius translati.

Petro de Belsa signum ✠ qui hoc translatavit.

Numero 3.º

1/6
6-1184

(3)

20

Traslado delo
permuta de Seno
Freno Santo
Regino y orgeier

Seno

Lermuta

Sypema

No vale por estar ya el ori-
ginal en el Archivo

Instrumento publico de permuta del castello de Santa
Lecina con la Vctoria

B. 1.

RT. 1058